Viro Excellentissimo et Celeberrimo,
IOH. ERNESTO IMMAN. WALCHIO,
Amico in paucis colendo,
S. P. D.
Iohannes Erhardus Kappius,

Recte accepi binas epistolas TUAS, VIR CLARISSIME, binasque MS. Oricellariani partes. Has Typographo Langenhemio heri excudendas tradidi. Promisit, se pro virili suo operam daturum esse, ut commentarius hic prelo subiciatur, et proximis nundinis vernalibus lucem videat. Mitte igitur propediem et inscriptionem et praefationem VIR CELEBERRIME, ne culpae in TE recidat. Monebo Typographum diligenter, sua [illegible] TUI

145v

interesse, ut liber brevi interiecto tempore typis
excuderetur. Sed fidem non praestitit. Nosti ipse
Bibliopolarum et Typographorum genus, qui
omnia utilitate sua metiuntur. Ceterum ex
animo opto, AMICE HONORATISSIME, ut
brevi mihi occasio contingat, novae professio-
nis ordinariae eloquentiae TIBI gratulandi.
Ita vale ex animi sententia, meque ut soles
amare, quod facis, in posterum ama. Scribe-
bam Lipsiae d. VIII Febr. A.R.G. MDCCLII.